

2. De ordine dicendi.

Maxime confert ad mentem D. Thomae assequendam imprimis considerare quonam ordine doctrinam trinitariam exponere intenderit. Sicut enim in Summae Prologo questus est "quia ea quae sunt necessaria talibus (novitiis) ad sciendum, non traduntur secundum ordinem disciplinae, sed secundum quod requirebat librorum expositio, vel secundum quod se praebat occasio disputandi," ita de trinitate divinarum personarum incipiens quaestionum divisionem "secundum ordinem doctrinae" praemisit.

se

Et quidem in Scripto super Sententias, libro I, a dist. 2 ad dist 34, secundum quod requirebat librorum expositio de re trinitaria tractavit. In QQ. DD. de Potentia secundum quod praebat occasio disputandi, in q. 2 de divina potentia generativa, in q. 8 de relationibus in divinis, in q. 9 de personis divinis, et in q. 10 de divinis ~~personis tractatis~~ processibus tractavit. In Summa theologiae vero secundum ordinem doctrinae seu disciplinae primo de processibus, deinde de relationibus, tertio de personis egit.

Quod si quis paulo altius intelligere studet, recolendum est alium esse ordinem inventionis et alium ordinem doctrinae. In ordine enim inventionis ab iis quae facilius cognoscuntur incipitur et ad ea tandem pervenitur unde totius rei intelligentia percipi possit. In ordine vero doctrinae ab arcanis fere atque reconditis ea conditione incipitur ut iis intellectis caetera omnia pariter intelligantur.

Ita rerum naturalium periti, quantum in via inventionis versantur, in sensibilibus observandis atque mensurandis toti occupantur. Cum autem ad libros conscribendos pervenerint, electrones, protones, aliaque ~~superproponunt~~ supponunt quae nemo unquam vidit vel videbit, et tamen sensibilia praesentia explicant et futura praedicunt.

At sicut naturalis sensibilibus intelligentiam quaerit, ita theologus veritatum ~~et~~ divinitus revelatarum intelligentiam aliquam imperfectam quidem sed fructuosissimam (DB 1796) percipere contendit. Sicut sensibilia fundant inventionem scientiae naturalis, ita veritates revelatae fundant inventionem theologiam. Sicut expositio scientiarum naturalium ita ab ~~et~~ elementis theoreticis procedit ut sensibilia omnia explicare conetur, ita expositio theologica ~~mysteria~~ veritates a Deo revelatas et ab ecclesiastico magisterio propositas cum naturae analogia tum ipsorum inter se nexu illuminatas uno quasi intuitu intellectuum ~~tuali~~ conspiciere studet. tum mysteriorum inter se nexu illuminat et uno quasi intuitu conspiciendas praebet.

Quod magis particulariter quoad nostram materiam declarandum est. In via inventionis ergo quod primo occurrit est illud omnibus fidelibus notissimum, ~~quod~~ unius Dei esse tres personas quarum omnes pariter in uno nempe Deo tres esse personas consubstantiales et quoad omnia prorsus aequales. Qua ex consubstantialitate et aequalitate proxime concluditur personas divinas non posse ideo distingui quod alia aliam perfectionem absolutam possideat; sic enim periret consubstantialitas; sic de aequalitate actum esset

perfecta